



FRANCISCI BEROALDI  
AD LECTOREM  
PRÆFATIO.



ACOBVS Bessonvs Delphinus, Regis Gallorum ingeniosissimus Mathematicus, vt ex abstrusissimis Mathematicarum & Mechanicarum artium fontibus hauriret, excoleretque ea quæ Rebus pub. maximè conducere & præclariorum ingeniorum studiis satisfacere possent; multa vitæ incommoda aspernari, discrimina plura subire, longissimas difficilimásque peregrinationes suscipere, omnem ætatem consumere, nullum studium aut laborem detrectare voluit: quæ si effugere, & ab ineunte ætate Antiquorum solummodo autoritate & meditationibus interpolatis munitus, famam sibi comparare cogitasset; illam, quam pro virili in omnium vtilitatem professus est, rerum abstrusarum cognitionem non esset assecutus. At inter præclara sublimis ingenij & ingeniosarum cogitationum viri monumenta, mirando artificio constructa, visendum se præbet immensi laboris Theatrum; Instrumentis & Machinis tum visu iucundissimis, tum opera vtilissimis refertum. Sperabat ille in studiosorú gratiam huic operi plures Tabulas addere, & explicationem subiungere que minus in Mathematicis exercitatos doceret. Sed cùm præteritorum laborum recordatio, tum eorum quos suscipiendos esse videbat difficultas; in ancipiti vitæ genere hominem sapiissimè constitutum, ab instituto reuocaret; veritus etiam ne dum opus perfectum & numeris omnibus absolutum moliretur, morte præuentus, melior hæc pars secum interiret; præclarissimos quosdam Artifices nactus, quæ tibi offerimus, Æneis Tabulis insculpenda curauit. Dum verò & laboriosi huius Theatri explicationem, & nouarum etiam Inventionum appendicem, atque nonnulla alia haud inferioris notæ opera aggreditur; Geometricarum videlicet linearum consequenter proportionalium inuentionem; Elementa conuertendarum obliquarum magnitudinem in rectas, duobus libris; & tertio, vtriusque exercitationes, omnia eo ingenij acumine inuenta, atque excogitata, vt quidem Mathematicum peritissimum nihil vnquam in Mathematicis extitisse vtilius affirmarent: sibi & alijs quibus natus erat, viuere desiit. Interea omnes admonitos volumus, nullam in hoc opere Instrumentorum, nullam Machinarum picturam, nisi nouam & Bessoni Marte inuentam, productam (etiamsi nonnullos eius familiari colloquio edoctos, quædam non multum dissidentia circumferre non puduerit) atque etiam experientia comprobata, necnon firmissimis rationibus & necessarijs argumentis cùm ex Mathematicis, tum ex Phisicis suffultam circumseptamque esse: idque adeo vt affirmare audeamus non esse otiosi, aut delicati hominis, vel in vmbra educati opus: sed eius qui dura multa pertulerit, maximásque facultates insumpserit: & vt paucis absoluamus lioris & ingrati tudinis morbo (nisi det meliora) laborare videbitur, cui opus tot præclaris Machinis & Instrumentis ornatum non satisfecerit. Cæterum, amantissime Lector, cùm omnibus sciencijs humanis proponatur scopus vtilitas, & delectatio; equum putavi, si his Machinis, quarú Figuræ voluptatem non paruam afferunt; aliquam perspicuam declarationem adderem; vt ij qui non tantum libris, ad Musæorum ornamentum, sed etiam ad emolumentum accipiendum delectantur, his frui possint. Quamobrem si meo hoc labore iuuaris, non solum hæc, quæ ad Machinarum spectant dilucidiora reddam; sed etiam quæ ad Theoricam Mathematicam pertinent breui exponam; non vulgariter, sed Deo fauente ita, vt non solum ij, qui non omnino videntur incapaces harum artium possint breui aliquid percipere; sed etiam vt docti delectentur. Verum ne te diutiùs detineam, hæc obseruabis, si velis assequi sententiam meæ declarationis: Nempe, me constituisse in margine exteriori Orientem, in opposita & interiori Occidentem, in capite Septentrionem,